1766 Lasota Consorti Reformat.

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Praemysliensibus Generosus Alexander Lasota olim Generosi Adami Lasota cum Generosa

147 Sophia Lipska Consorte eius legitima procreatus Filius. Sanus mente et corpore existens a Terris, Districtibus, Iuribus Iurisdictionibusq[ue] suis quibusuis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Praemysliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc attinet se cum Successoribus, ac Bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atq[ue] subiiciendo, palam, libere, pure, simpliciter ac per expressum recognovit. Quia ipse Generosus Agneti Chrzosczowna olim Generosi Ioannis Chrzosc cum Generosa Marianna Poniatowska Consorte ipsius legitima procreatae Filiae sui vero Recognoscentis Consorti legitimae eiusq[ue] Posteris Summam Duorum Millium Florenorum Polonicalium ratione reformationis et expeditionis post ipsam acceptae et in domum suam importatae, nec non aliam similem Summam Duorum Millium Florenorum Polonicalium, ratione certi veri iusti et liquidi dotalitii sibi in et super tota et integra medietate Bonorum suorum generaliter omnium, haereditariorum et obligatoriorum, mobilium et immobilium, Summarumque quarumuis pecuniariarum, nec non auri, argenti, clenodiorum, unionum, margaretarum, vestium, vestimentorum, stanni, aeris, cupri, orichalci, pecorum, pecudum, equorum, equiraturae, ac totius supellectilis domesticae nunc habitae et in post habendae, dedit, dotavit, dotalitiavit, inscripsit, et reformavit, prout dat, dotat, dotalitiat, inscribit, et reformat praesentibus. Per ipsam Generosam Agnetem Chrzosczowna sui Recognoscentis Consortem legitimam et ipsius Posteros eandem medietatem Bonorum suorum generaliter omnium cum universis ipsis utilitatibus et usufructibus competentiaque et pr-

rogativa quavis tenendi habendi et possidendi, illisque quiete et pacifice utifruendi, ac ad Usus suos suorumque Successorum quosvis bene placitos libere et effectualiter convertendi vigore ac more aliarum Reformationum hactenus et diutius in Regno Poloniae observari solitarum.

Chylinski Magnificis Grudzinskim Coniugibus suo pro interesse Intercisam Roborat.

Comparens personaliter coram Officio, et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Praemysliensibus Generosus Petrus Chylinski sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Praemysliensi Iurisdictioni, quo ad Actum nunc et huic, se cum Successoribus, ac Bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo, palam, libere, publice, ac per expressum recognovit, Quia ipse suo, et Generosae Magdalenae Poniatowska Consortis suae Legitimae, pro cuius ratihabitione cavet ac se praesentibus inscribit nomine, se ac suos Successores in et super Bonis suis generaliter omnibus Summisque pecuniariis quibusvis habitis et habendis inscribit et obligat praesentibus Intercisam certam inter Magnificos Nicolaum a Grudna Grudzinski Golubiensem Grzybowiensem Capitaneum et Domicillam de Szczawin, primarum nuptiarum Illustris et Magnifici Constantini Lubomirski, Comitis in Wisnicz et Iaroslaw Pocillatoris Regni, ea praesens vero secundi thori supraści